Zonium, è cuius brachio paludamentum prolabitur sinistro. Circumscriptio. I. O. M. SACR. VOT. P. SVSC. PRO. SAL. ET. RED. Nummum hunc aureum memini me uidisse apud Reuerendissimũ Patriarcham Grimanum Venetiis.

In una parte.

18. Augustus habetur inornatus, læuo ore, sine ulla litera adpressa.

In altera.

Capricornus ad læuam plagam peruolare uidetur, inter pedes orbem ac gubernaculum retinens, ad cuius tergum præterea est cornucopiæ. infra. AVGVSTVS. Nummus hic aureus à me conspectus est apud D. Achillem Maphæũ Romæ.

In una parte.

19. Augustus habetur aperto capite, inornatus, non addita ulla epigraphe.

In altera.

Fornix Augusto structus, cuius in fastigio summo quadriga contra spectatorẽ inuehitur. Frontispicium tale habet monumentum. IMP. CAESAR. Nummus hic aureus uisus est à me apud D. Achillem Maphæum Romæ.

In una parte.

20. Augustus effigiatur laureatus, dextro ore, cum nõis epigraphe. CAESARI AVGVSTO.

In altera.